

Q. K.
356,22.

PETRI PETITI
Philosophi & Doctoris Medic.
Parisiensis

II c
1770

X1859326

T H E A

Siue

de Sinensi herba

T H E E

Carmen

ad

PETRVM DANIELEM HVETIVM.

Cui adiectæ

JOANNIS NICOLAI PECHLINI

Archiatri Holsati

de eadem herba Epigraphæ,
& descriptiones aliæ.



L I P S I Æ,
apud Mauritium Georgium VVeidmannum.

PETRI PETITI

Philosophi & Doctoris Medicini

Parisiensis

A

E

H

T

Sine

de Jure hereditario

E

H

H

T

Carmina

ad

PETRAM PAVILLIUM HAVETIVM

Carmina

JOANNIS NICOLAI PECHLINI

Archidiaconi

de sacra historia Epigraphica

Carmina

1725



Nobilissimo & amplissimo
VIRO

DN. AVGVSTO
HEILANDO,

Serenissimi Ducis Brunsvicensis &
Luneburgensis in aula Cellensi
Consiliario spectatissimo,
S. P. D.

FRIDERICVS BENEDICTVS CARPZOVIVS.



HEAM, cuius potu præ-
teritis vernalibus nundi-
nis, cum apud nos ageres,
lusus inter iocosque si-
mul aliquoties sumus vfi,
iterum propino Tibi; non
vt nuper in crateribus, ollis, & calicibus fi-
ctilibus ad hos vsus aptatis, sed papyro,
omnem herbæ adeo celebratæ naturam,
ortum, & virtutes exhibente. Cui confi-
lio occasionem præbuit quod eodem tem-
pore ad nos perferebatur e Gallia a cultisfi-



sum venustissimum carmen, laudes huius
herbæ decantans: quæ maioribus incogni-
ta, vniuersæ morborum turbæ veluti pa-
nacea quædam hodie obiicitur, ingenii eti-
am acuendi gloria passim prædicatur; ali-
cubi tamen velut exiguæ utilitatis ac salu-
britatis plane nullius planta spernitur. Ni-
mirum vt aliarum rerum ita & medicami-
num certæ sunt vices, ac quidam velut or-
bis, intra quem vituperio aut laude ea fe-
runtur; sæpeque contingit vt eiusdem me-
delæ inuidenda antea gloria in calumniam
transeat, ad alias subinde atque alias se con-
uertentibus mortalium animis. Cumpri-
mis autem exoticis opinio & varietatis stu-
dium haud vulgarem gratiam conciliant,
licet in iis nihil magnopere sit quod vel pa-
latum deliniat, vel sanitatem iuuet, & non
potius vana persuasione quam naturali
gratia se commendet; modo raritas & diffi-
cultas parandi pretium iisdem ponant.
Nempe rebus nouis & externis quisque
studet, haud alia fere causa quam domesti-
carum & repertarum tædio, quo, dicente

quæritur optimum videtur, & vfitatis fasti-
diose spretis recentia auide expetuntur.
Quæ ipsa tamen rursus tam alto cum lu-
percilio a quibusdam despiciuntur, vt quo-
niam isti vsum earum rerum ignorant, nec
nosse cupiunt, prorsus inutiles eas credant,
ac spernere quam inuestigare malint. Præ-
cæteris autem remediorum istud est fa-
tum, vt nimio siue fauore siue odio eorum
qui ista præbent, modo in honore sint, mo-
do contemptim habeantur ac exolefcant.
Quam fortunam cum & THEA experia-
tur, a nonnullis nouitatis horrore fastidita,
a pluribus eiusdem gratia deamata; vt nec
istis desit in quo genuinum frangant, & his
suppetat quod ipsorum animum oblectet;
typis nostris excudere, & hac ratione in
nostrorum hominum familiaritatem per-
ducere suauissimum doctissimi Galli car-
men, eique venustissimas inscriptiones
elegantissimi Medici Germani in laudes
istius herbæ conscriptas subiicere volui:
iunctisque his encomiis descriptiones
eiusdem nonnullas ex diuersis auctoribus

Theæ laudes sub nominis tui auspicio
euulgare. Non quod hanc operam aut exi-
miæ Tibi gloriæ, aut mihi laudi futuram
crederem; quorum alterum si mihi fuisset
persuasum, per plura exempla (quorum
pauca saltem excusa sunt) hanc syllogen
sparsissem; sed vt humanitatis tuæ ac be-
neuolentiæ, quam a multis annis erga me
fensi eximiam, redhostimentum aliquod
esset, & obseruantiam meam quomodo-
cunque declararem, amicitiaë etiam no-
stræ olim contractæ nuper instauratæ mo-
numentum aliquod extaret, quo memori-
am eius coli intelligas. Neque vereor vt
rei, cuius vsus tibi non ingratus est nec in-
saluber, contemplatio & laus sit futura
minus iucunda; nam laudari ab aliis rem
nobis probatam gaudemus, & ab amico
oblata leuia etiam officia non aspernamur.
In quo numero vt me porro habeas si stu-
dio hoc demeruero, maximum eius fru-
ctum me percepisse & ingens pretium
operæ exiguæ fecisse putabo. Vale. Lipsiæ,
Kalendis Iulii, MDC LXXV.

o
-
n
t
n
-
e
h
-
-
-
-
t
-
a
n
o
r.
l-
l-
m
e,

Vindice non alio gaudeat iura magis.


A

THIA





THE *Herba*
cum fructibus.



E. Andre-Sohn sc.



PETRI PETITI
THIA SINENSIS,

AD

PETRVM DANIELEM HVETIVM,
ABBATEM ALNETANVM.



*ARMINA Pimpleis nuper mihi nata sub an-
tris,*

*Cui potius mittam quam tibi, HVETIADE?
Accipe quodcumque est; deerunt si cætera votis,
Fallor, materies ni placitura tibi est.*

*Inclyta Sinensis celebramus munera terra,
Munera Pegasidum jam bene nota choris.*

*Perlege; si bene quid de te meruere beata
Thiados ambrosiis pocula tincta comis.*

*Nec meruisse male hæc, credo, ipse fatebere: quanquam
Ingenio multum, nec minus arte vales.*

*Vteris hac certe, & nullum sine pyxidis usu
Thiifera pateris præteriisse diem.*

*Non Heliconæ moves unquam, nisi nectare tali
Vuidus & blando corda furore tumens.*

*Ipse etiam multis diuinam expertus ab annis,
Hac soleo ad Musas tendere fretus ope.*

*Ergo age: & hæc mecum certissima dona Deorum
Concelebra; nostris versibus adde tuos.*

*O quanta accedet Sinensi gloria siluæ:
Vindice non alio gaudeat illa magis.*

A

THIA

THIA SINENSIS.

TE-ne ego, Sinensis pignus memorabile terræ,
Indictam vsque meis patiar seruire Camœnis,
Thia? Nec, vt merita es, sacratam carmine nostro
Coetibus ostendam doctis; vt munera quisque
Numinis agnoscat venerans, opibusque fruatur?
At tibi quas referam grates, quo debita soluam
Carmine? tu vocem ipsa mihi ingeniumque ministra,
Nam potes: o famæ merito pars maxima nostræ,
Thia, salutarefque inter memoranda cateruas
Plantarum; qua nulla solo præstantior exit
Assiduis fessum studiis reparare vigorem
Corporis atque animi, & tristes depellere curas.
Diceris & duros morborum auertere casus,
Parcarumque colos tardare & lubrica pensa.
Te fretus Musarum omnem perferre laborem,
Continuas possum libris traducere noctes,
Nec mea gliscenti succumbunt lumina somno,
Aut vigilasse nocet: fessos non languor in artus
Succedit: manet idem ardor. Cumque humida cursum
Nox peragat, jam Solis equis affletur anhelis,
Pallida jam toto vanescant sidera cœlo,
Non minus insano iuuat indulgere labori;
Tam valida exili regnat sub stirpe potestas.

Tu mihi concilias Phœbum, Phœbique Sorores;
Vt quoties libet Aonios conscendere montes,
Quocumque & visum est, possim pede nectere versus.
Nam simul atque tuas concepi pectore vires,
Continuo noua lux oritur mihi; nubila, celsæ

Quæ menti obstabant, fugiunt; anima explicat alas,
Impatiensque soli superas se tollit ad arces.

Haud aliter propior nobis cum flectit ab Austro
Phœbus equos, segni torpentem frigore terram
Excitat: hinc lætis auium concentus in agris,
Graminaque & flores, spoliatis denique siluis
Redditur hibernus quicquid detraxerat horror.

O fortunatæ gentes, Tithonia regna!

Hæcine opes vobis, atque hos decerpere fœtus
Concessum; nobis contraria fata negarunt?

Quid rear? Inuidia magnorum, an fœdere Diuum,
Ereptum hunc nobis silvæ potioris honorem?

Liuior abest Superis; potius data fœdera mundo
Credamus; neque enim nobis lectissima defunt

Dona Deum, aut nulla est fœcundi gloria ruris.

Sed Pater omnipotens, nutu cum prima potenti
Fundamenta orbis jaceret, discrimina terris

Hæc posuit, nulla ut magni sub fornice cœli
Sit regio, quæ non proprio se munere jactet.

Sic Chalybes præstans opera ad fabrilia ferrum,
Marmora dant Parii, pretiosos India dentes,

Thura ferunt Arabes, vicini balsama tractus,
Rara Cyrenæis pubescunt silphia campis.

Tum sacer indigena semper redimita papyro
Cornua Nilus habet, propriaque hac dote superbit,

Trita licet veteres presserunt lintea chartas.

Haud aliter Sinæ totum transmissa per orbem

Dant famam virgulta, & frondis nota potestas.

Nectamen huic defunt aliis quæ commoda Numen

Gentibus indulſit: nil eſt tibi, Sina, negatum.
Quid dites referam ſiluas? quid germina ſuccis
Inclſyta? quid Diuûm turgentes neçtare cannas,
Cinnamaque, & rhei medicum pollentis honorem?
Quid varias Cereris fruges? Nec tractibus illis
Vitifator tectos oſtendere palmite colles
Abnuit, aut plenis vuas inferre caniſtris;
Sed pudor eſt dulces prælis violare racemos,
Cellarumque altis Bromium damnare tenebris,
Thia quibus ſacras meliora in pocula frondes
Sufficit. His & apes ſtipant fragrantia mella,
Non ceſſura fauis Hyblæ, aut redolentis Hymetti.
Mollia Thisbæa meditantur penſa ſub vmbra
Felices operum tineæ: his breue ducitur æuum,
Donec fatales explerint corpore formas:
Tunc vitæ extremo velandis lucida membris
Fila vomunt ſaturæ; calathis quæ deinde Minerua
Excipit, & teneris præbet carpenda puellis.

Haud aliter memorant, primus cum regna teneret
Saturnus, miram terras vndaffe per omnes
Rerum vbertatem, tuncque aurea ſæcla fuiſſe.
Quem regnare Deum Sinarum nunc quoque in oris
Jurarem, tectum ſiluarum horrentibus vmbriſ;
Si non cultu atque egregiis gens illa repertis
Multum diſſimilis primis mortalibus eſſet.
His etenim ſimplex nullasque exculta per artes
Vita fuit quondam, nulliſque obnoxia curiſ;
Securum in ſolis degebant montibus æuum.
Illis vaſta domus antra, obſcurique recessus

Altorum nemorum; vestes detracta cruentis
Terga feris; victum excussis Pomona ferebat
Arboribus; fontes potum, & labentia ripis
Flumina: nec mentes scelerati insania ferri
Attigerat; nondum terras exosa nocentes
Astræa ætherias patris remeauerat arces.
Pax erat, & molli torpebant secla veterno.

Nunc rerum spectare vices licet: ordine verso
Sinarum vt populos diuersa per omnia ducat
Jupiter. His artes, his arma, his mænia & arces,
Tectorum his auro postes & marmore fulgent,
Templa Deum laqueata, & centum fulta columnis.
Solers quippe animi genus, experiensque laborum,
Nil intentatum studiis, nil linquit inausum.
Quid radios, calathosque, & pensa operosa Mineræ,
Et pictas auri referam subtemine vestes?
Est vbi mirificis melius variata figuris
Texta tegant humeros regum, cellosque penates?
Aut vbi disposito luxu ambitiosa supellex
Ducat inexpletos per tot miracula visus?
Quin etiam vasa haud ullis cedentia gazis
Vilibus e conchis fingunt, (sic didita fama)
Quo monstrante Deum? quis tales protulit artes?
Nam prius informem cæcis telluris opacæ
Visceribus massam infodiunt; latet illa profundo
Centum annos; prodest tenebrosi carceris horror,
Et latuisse iuuat, splendoremque imputat umbra.
Credimus? an vana nobis hæc pro dita fama,
Nil opus & longis massam damnare tenebris,

Sponte sed hunc glebis tribuit natura leporem?
Quid refert? Ergo & sterili data pignora terræ;
Quæque infœcundo nullos alie vberere fœtus,
Ipsa sibi pretium est, patriisque excocta caminis
Vrnarum facie aut abacis imposta coruscat,
Aut pateris Thix feruentes excipit haustus.
Quis docuit nitrato imitari sulphure cœlum
Iratum, mixtisque Deos in bella ruentes
Fulminibus, domitos luxit cum terra gigantes?
Non laudo. Meritas orbi qui talia primus
Protulit, inferno pendat sub vindice pœnas.
Sed tamen hunc celeri ingenio valuisse putandum est,
Æmula qui telis potuit cœlestibus arma
Formare, & magnos Cycloperum æquare labores.
Illic & volucres ventis impellere currus,
Inuentum, & latos velis transmitters campos:
Quis Zephyris mutauit equos? Et quis fuit ille,
Qui rigidis vocum mandare exempla metallis
Instituit, modulisque fugacia sistere verba,
Et foliis dulces animorum educere fœtus?
Artis opus miræ, qua totum æterna per orbem
Edita magnorum volitent monumenta virorum:
Quod primum Sinarum inuentum fertur in oris.
Nec deerunt æui obscuris qui pressa latebris
Facta virum, veteresque velint euoluere fastos;
Quas regno fortuna vices ab origine prima
Attulerit: varios casus, hominumque labores
Qui referant: pulsos Sinarum e mollibus aruis,
Venetosam in Chrysen ratibus venisse colonos.

Vt quondam passi grauiâ, atque indigna relatu,
Rege sub injusto, pietas quem nulla mouebat,
Non vllus pudor, humani aut reuerentia juris,
Fœdere composito inter se (namque vltima pestis
Urgebat) dirum folio exturbare tyrannum
Institerint: vt re comperta, vlttricibus armis
Ille furens captas popularit cædibus vrbes;
Donec multorum satiatus sanguine fuso,
Hac reliquis vitam concessit denique lege,
Si rapidam exilio iussi præuertere mortem,
Damnatas agerent ventosa per æquora puppes.
Sic miseri ignotas compulsi exquirere fedes,
Post multos tandem errores, ad Iaponis oras
Appulerunt; quæ tunc nullis habitata colonis
Oceano in magno tellus ignota jacebat.
Sed tamen hæc felix gemmarum, aurique metallis,
Diues opum variarum, & fertilis vbere glebæ:
Nec minus eximiis Thix (vicinia tantum
Sinarum, Eoi que valet clementia cœli)
Læta comis. Hæc tum miseris solatia Numen
Ostendit, quibus infandum releuare dolorem,
Et rabidos possent depellere pectore luctus.
Tale decus glebis Oriens aspirat Eois:
Quippe etiam Scythicis idem se spiritus aruis
Induit, Aonias furor expulit vnde Camœnas
Impius, æripedumque vbi sanguine pastus equorum
Solutus adorato dominatur acinace Mauors.

Verum hæc atque alia antiquæ decora inclyta gentis
Concelebrent, quibus hoc magnus concessit Apollo.

Te

Te solam inter opes Asiae mea Musa loquatur,
Thia, in te mea cura vnam conuertitur omnis.
Non vasti imperii, quo nullum majus in orbe est,
Ingentes gazas, non auri pondera miror;
Non quæ alia indocilis mediocri viuere censu
Per maria & terras quærit mercator auarus.

Hoc gemmis, hoc tu gaza mihi carior omni,
Quo propius mentem attingis, sanctosque recessus.

O magnus telluris honos! non commoda tantum
Corporibus cunctis nascentum alimenta ministrat,

Verum etiam humanæ submittit pabula menti.

Quid non speremus nobis hanc posse parentem

Fœcundo proferre sinu? si pectora nostra

Virgulti frondes acuunt, & lumine complent.

Nunc credo Æmoniis Medeam in montibus herbas

Inuenisse, graues æuo quibus Æsonis artus

Perfundens, longæ repararet damna senectæ.

Nunc & in Euboïca piscantem Anthedone Glaucum,

Monstriferum gramen postquam inscius ore momordit,

Mutatos alto mersisse sub æquore vultus,

Et de mortali tumidarum numen aquarum,

Nereidum faciles inter lusisse cateruas.

Cætera de genere hoc vatum portenta priorum,

Circeumque nefas, versamque potentibus herbis

Humanam effigiem in rictus, & terga ferarum,

Credere cuncta libet: neque enim hæc me iudice dictu

Admiranda magis, quam siccæ pignore frondis

Castalidumque domos, totumque Heliconam moueri.

Nunc

Nunc age, quæ Thix facies, qua prædita forma,
Quis color, expediam; frondis quæ cura legendæ,
Quo ritu indigenæ curandam in tecta reportent;
Quo fato Europæ tam longum ignota per æuum,
Non veterum libris, non vlla cognita fama
Silua prius, tandem in nostros processerit vsus;
Quoque modo injectis tenues medicarier vndas
Conueniat foliis, vt pocula rite parentur.

Vertice surgentem modico, pulchrisque comantem
Frondebis, aspiciens Thiam fruticare per hortos
Nanquini, lætosque locos aspergine aquarum,
Esse putes Veneris redolentem basia myrtum,
Mollius huic folium, aut illi si durius esset.
Sed neque rhus diuersa comas, aut Punica malus
Dissimiles multum producit cæspite virgas.
Sunt qui illi folium tribuant viuacis oliuæ:
Sunt qui agno assimilent, quæ propter flumina nota
Humentes lento præcingit vimine ripas:
Vnde illi ambiguum nomen pinguem inter oliuam
Vimineumque nemus. Facit hæc discrimina tellus
Natiuam effigiem succo variante per oras
Fatalis glebæ. Flos candidus: haud tamen absque
Flauentis succi mixtura: huic æmula bacca
Succrescit, viridis primum; quem deinde colorem
Post paulo in nigrum mutat: cadit illa, neque vllum
Carpendi fructum de se mortalibus affert:
Sola iuuant folia, hæc quærunt, cum frigore pulso
Ver aperit terras; hæc frondibus apta legendis
Tempestat, teneris superat cum foetibus humor.

Numine tunc Phœbi & Geniis impulsa locorum,
Nympharum vaga turba cauis prorumpit ab antris,
Et primas Thiæ properat decerpere frondes.
Quas inter Cytherea choros exercet, Amorum
Cum solito comitatu. Illæ quæsitæ canistris
Mollibus excipiunt, & multa pyxide condunt.

Nec secus Aonides, quibus hæc vindemia cordi,
A quibus hujus opis primum experientia fluxit,
His se se sponte adjungunt, nec pœnitet illas
Montibus assuetis & nota sede relicta
Ire viam, & longos marium transmittere tractus.
Tunc festa exhilarant conuiuia Mandarinos,
Indulgetque epulis luxu resoluta juuentus:
Haud secus ac Pharii gens fortunata Canopi;
Cum venit auxilio, & populos miseratus egentes
Nilus, adoratam voluit super arua paludem,
Legitimoque ruens promittit gurgite messes.
Aut cum saxosis maturas collibus vuas
Nostrates humeris referunt in tecta coloni.
Tunc rauca multos excedere ab vrbe videmus,
Quos ludus vocat & permissa licentia Baccho,
Orgiaque, & plenis spumans vindemia labris,
Et iuuenum seri nocturna ad præla labores.
Libera tunc vacuas diffundunt gaudia mentes,
Horrida discinctus differt vadimonia Prætor,
Prolatæque silent compresso murmure lites.

Postquam fat frondis lectum, messisque peracta est,
Altera cura subit; lentis siccanda caminis
Germina vimineis collecta inferre canistris,

Ac versare manu, nimius dum excesserit humor,
Ne situs irrepat capsis, frondesque repostas
Occupet: hinc vasis rite obsignata recondunt
Candenti e stanno. Sed primum debita Phœbo
Redduntur vota, & meriti referuntur honores;
Phœbo, qui mentem terræ, ingeniumque creandi
Motibus inspirat, radiisque potentibus omnes
Educit genitor magno de corpore foetus.
Tunc pius in picta procedit veste Sacerdos,
Fronde super patria redimitus tempora mitra.
Quem circum proceres adstant, & cætera turba:
Solennes Phœbo decantant carmine laudes,
Primitiasque ferunt primæ libamina frondis:
Quod reliquum est læti capsis in tecta reportant.

Hinc adeo lymphis vocalibus Hippocrenes
Venit honos, sacros jactavit Græcia fontes.
Namque olim arcanis tingebant frondibus vndas
Pierides, miras edoctæ ab Apolline vires.
Ante etiam Tyriis profugus quam Cadmus ab oris
Castalio fessos artus recreasset in antro:
Cum nondum Thix in populos mirata tulisset
Fama decus; nondum Oceani penetralia magni
Herculeas ultra Gades, & Caspia regna,
Conuulsis tentasset Iber perrumpere metis,
Ignarum vates afflari numine solo
Credebat vulgus, populis ea fama volabat.
Hinc adeo & vates ipsos sacer horror habebat
Regnati Phœbo montis, nemorumque recessus.
Cumque illis calefacta daret de more Sacerdos

Pocula, tunc sacros arcana numinis aur
Jactabat feruere lacus. Sic tempore longo
Mansit honos: donec totum quatientibus orbem
Romulidis, Graios vertens Fortuna reliquit,
Ereptæ Phœbo laurus, & cætera rerum
Majestas: tunc & siluis antiqua recessit
Religio; non laurigeris Parnassia rupes
Bacchantum resonare choris, non visere fontes
Dulce, nec Aonidum tacitis succedere lucis.
Sola loci fama ad Ieros transmissa nepotes,
Ac priscae in verbis durant vestigia laudis.
Thyadas hinc equidem Thiaë de nomine dictas
Crediderim, hinc Thiasos, quatientes tympana palmis,
Flagrantemque cadis Chion, impulsosque proteruis
Bassaridum manibus fremebunda per orgia thyrsos,
Dum meliora suis Sinensia dona Lyæus
Miratur, similesque vuis affectat honores.

Ergo vbi conuersa in peius videre Camœnæ
Omnia, contulsas Heliconis funditus arces,
Templa æquata solo, viduatas ignibus aras,
Non instaurandi cultus in montibus illis
Spem superesse vllam: placuit non amplius orbem
Celare, eximii fruticis quid germina possint.
Vt sibi quisque domi, quouis sub cardine mundi,
Optatos reparet potus Aganippidos vndæ.
Iratæ interea fatis solatia tanta
Abscondere diu mortalibus: impia donec
Barbaries late Europam grassata per omnem,
Antiquos terta studiorum aboleret honores

Dilu

Diluuie, premeretque artes, paribusque ruinis
Roma daret Græcis fatales diruta pœnas;
Dacorum & rabido toties data præda furori.
Cuius non labem tam dira piacula noxæ
Abluerent? Ergo his Nemesis satiata recessit,
Et Musæ posuere minas, placuitque referre
In melius cuncta, & rebus succurrere lapsis.
Tunc Lusitanis animi nouus incidit ardor
Ignotas tentare vias, extremaque mundi
Lustrare, & prisca positos perumpere fines.
Quos Batauûm haud ignara maris gens deinde secuta est,
Et quam piscosis Tamesis vagus alluit vndis.
Sic prius ignotæ gentes, ingentia regna,
Ipsaque Sinarum nobis ditissima tellus
Antiquas patefecit opes, Thixæque repertas
Tunc primum frondes dedit asportare carinis.

At Pater omnipotens aliam tendebat ab alto
Fatorum seriem, selectosque ordine ab omni
Christicolum patres opera ad maiora vocabat.
Qui miseras gentes nondum illo tempore cuiquam
Detectas nostrorum, & adhuc simulacra colentes,
Seruitio antiquo eruerent, quique impia dictis
Veridicis, sacroque potentis fulmine linguæ
Portenta & ritus possent abolere nefandos.
Illuc ancipites delati classe per vndas,
Nunc etiam hæc eadem tot jam labentibus annis
Ardua dum cœpta ad finem perducere tendunt
Optatum, nullos renuunt perferre labores;
Sedibus extorres patriis, rerumque suarum



Immemores; tanto Superum capiuntur amore.
Diuinas pandunt leges, demissaque cælo
Fœdera: nec metuunt cœlestibus æmula regnis
Numina, non Procerum vultus, non iussa superba,
Non gladios: penetrant aulas, & limina regum;
Omnibus intrepidi caput objectare periclis,
Et vitam vera pro religione pacisci.

Quid tibi nunc memorem varia instrumenta parandi
Nectoreos latices? Quid pietis vascula circum
Arte Promethea rerum variata figuris,
Ollasque, effictasque luto potiore patellas?
Quid tripodas, pressosque cauis fornacibus ignes?
Cæteraque arma, vadis que haustos melioribus amnes?
Quicquid erit, studio ne disposuisse fideli
Ante domi, neque ad has pigeat descendere curas.
Nam neque principibus Sinarum hæc cura pudori est.
Ipsi ventosis accendunt follibus ignes:
Tantus amor; teretes accensis ignibus ollas
Apponunt; ipsi gemmata pyxide lectas
Solliciti promunt frondes, & pocula tingunt,
Quin etiam fessis, post mille pericula ponti,
Hospitibus, quos eximio dignantur honore,
Plena renidenti protendunt cymbia vultu;
Hoc in amicitiam coeunt, & fœdera jungunt
Pignore; sic primos nectit concordia nodos.
Nec magnus labor est medicari frondibus vndas.
Sinarum hic modus est: haustum de fonte liquorem
Ignibus imponunt, curuo dum totus ahenus
Ferueat, & tumido exultans exuberet æstu.

Protinus injicitur selectæ copia siluæ
Haud magna, & quantum satis est vt pocula tingat;
Mox remouere foco, calidumque operire liquorem
Conuenit, ad fundum donec descenderit omne
Sponte sua nemus, & paulum requieuerit ardor.
Nec desunt qui trita eadem feruentibus vndis
Injiciant folia, hocque insperso puluere tingant
Pocula: quem morem seruant quicumque potentis
Virgulti carpunt frondes in Iaponis aruis.
Tunc vada subtili cernas viridantia fuco;
Excitus inde leues sursum vapor exit ad auras,
Et suauis afflatae nares contingit odore.
At si forte leuis fauces offendat amaror,
Nectareæ poteris cannæ admiscere saporem.
Tunc laticem fidens auidis duc faucibus omnem,
Mox miram sensurus opem: seu te vrbe relicta,
Insanoque foro, & mentem impediante tumultu,
Hortantur Musæ sacros accedere fontes,
Miscerique choris, vocesque audire Dearum:
Seu placet obscuris veterum impallescere chartis,
Naturamque sequi, & nascentum exquirere causas;
Quo te cumque rapit venturæ gloria famæ,
Non alio magis auxilio damnabere votis.
Tum quæ mordaces diuellunt pectora curæ,
Non alio melius possis depellere potu.

Hunc si Bellerophon nosset, non solus Aleis
Errasset campis, hominum vestigia vitans.
Non iter ad Manes, Ditisque immania regna
Tentasset citharæ fidens Rhodopeius Orpheus.

Non

Non animum despondisset Telamonius Ajax.
Non ita crediderim Pharia inter gramina, sacro
Carmine laudatum semper florentis Homeri,
Pellere Nepenthes sæuos potuisse dolores,
Irarumque graues animis componere fluctus.
Inuentum hoc Polydamna tuum; dum rura Canopi
Herbarum studio lustras, atque inuia tesqua.
Hoc tu confectos curis recreare solebas,
Arcanum admiscens dulci medicamen Iaccho:
Tyndaris inde tuo exemplo; pariterque cadentes
Regibus infuso compressit munere fletus.
Sed neque Lenæos quisquam jactare liquores
Audeat, aut dulces Thix præferre racemos.
Pace mihi liceat, potores, dicere vestra,
Nulla placere mihi possunt medicamina, tristes
Quæ damno mentis depellunt pectore curas.
Qui mores, & quæ ancipitis fiducia Bacchi,
Centauri Lapithæque monent, vibrataque dextris
Pocula, & infando respersæ sanguine mensæ.
Non vnquam tales blandis, mihi crede, furores
Accendet tibi Thia comis: licet hæc quoque venas
Dum subit, insolitos voluit sub pectore motus.
Scit planta innocua, & nostris gratissima Musis,
Virtuti seruare fidem, dat gaudia menti,
Sed casta, & nullum culpæ incussura pudorem.

Hactenus egregias virgulti carmine dotes
Sit celebrasse satis: nam qua vi talia præstet,
Muneris & tanti causas aperire latentes,
Non opis est nostræ, nec quicquid vbique sophorum est.

Id magis expediat, quam tot miranda profundis
Jampridem ingeniis casso tentata labore:
Quæ rigidum admoueat lapidi concordia ferrum
Herculeo; quæ vis silicem conuertat ad Arcton;
Cur Phaëthontiadum mœstis manantia truncis
Succina, pallentes stipulas, atque arida quæque
Sollicitent, quis amor pappos rapuisse volantes?
Cur puppi impulsæ ventis Echeneis inhærens
Æoliam infrænet rabiem, cursumque retardet?
Haud secus ac tumidas interrita despicit undas,
Anchora quam fundat saxoso impacta profundo.
Ecquis tam felix studiorum, & mente sagaci
Mortalis, speret meditando extundere posse,
Immenso quot terra sinu primordia condant;
Aut quibus apta modis inter se elementa sequantur
Vim Superum, proprios quæ cuncta educit in ortus.
Quid tamen his ratio in tenebris mihi suggerat, acri
Omnia versanti studio, haud memorasse pigebit.

Credibile est Thiam, tunc cum vim passa caloris
Soluitur, inque leues instar fumi euolat auras,
Mirificas ex se victa compage vapores
Tollere, queis neque quicquam alio de corpore possit
Tam tenue emitti, aut tanto splendore coruscans.
Quod sane haud vanis videor deprehendere signis:
Nam simul ac Thia est feruentibus indita lymphis,
Continuo his viridem inducit permista colorem;
Illaque tam tenuis gliscit tinctura liquori,
Nulla hunc vel minima vt succi caligine turbet.
Non minus ille etenim pellucidus vndique nostros

Solis inoffenso transmittit lumine visus.
Nec minus indicio est, qui tunc vapor euolat inde
Naribus & gratum patulis adspirat odorem.
Scilicet ætheriæ multum in se hic halitus auræ
Continet, & viuos astrorum prouocat ignes
Lumine purpureo, & motu, blandoque calore:
Quas illi vires roseo Tithonia curru
Desuper, & propior nascenti afflauit Eous.
Ergo his se se animæ adjungit, mentique propinquat
Dotibus: hinc ille optatus meditantibus ardor
Incidit, & dulci trepidant præcordia voto.

Sed me difficiles tentantem euoluere causas
Majores subeunt curæ, potiora Deorum
Munera cum video tantis obstructa periclis;
Qui talem extremo mundi sub cardine siluam
Tam procul Europæ voluerunt surgere regnis,
Non vlli externo translata affuescere cœlo.
Armandæ classes, tantum maris æquor arandum.
Inuidisse Deos nostris hæc munera campis.
Ecquis enim hanc nostros genitam quoque dicere in vsus
Sustineat, nostris quæ tam procul exulet oris.

Macti animo Bataui, quos nulla pericula terrent:
Non maris aut cœli facies depellere votis
Vlla potest, longosque malis abrumperere curus.
Non minor hæc vobis sit gloria, fortibus ausis
Absoluisse Deos: neque enim hæc sine numine Diuûm
Voluitis, aut quisquam portus volitare per omnes
Oceani, & tantos possit superare labores;
Grandibus inceptis cœlo nisi fautor ab alto

Ad-

Adspiret Deus, & fragiles regat ipse carinas.
Muneris hoc vestri est, quod Thia ducere succos
Cum visum est nobis, blandosque ciere furores,
Non immensa obstant spatia interjecta locorum:
Quodque peregrini non vlla opulentia cœli
Europæ defit populis, non vlla voluptas.
Non mihi si centum linguas, centum ora mouere
Musa potens fandi tribuat, tot mittere voces
Sufficiam, quantas Actoribus inclyta vestris
Sina rependat opes, digno comprehendere versu.
Quæ si nulla forent tanta emolumenta laborum,
Solaque veliuolas peteretur Thia per vndas;
Non tamen hanc per tot quæri discrimina dignam
Abnuerem, tales vitæ quæ præbeat vsus.



JOHANNIS NICOLAI PECHLINI,

Archiatri Holsati,

A R A

Elogiis THEÆ inscripta.

DIVÆ. THEÆ. SACRVM.

VIATOR.

HVC. TE.

HVC. ORA. CONVERTE.

ET.

THE. SALVTA.

TAM. AMABILEM. HERBAM.

QVAM. ES. IPSE. TIBI.

QVI. TE. AMAS.

EX. THE. COGNOSCES.

ET. DISCES.

NON. ESSE. TE. QVOD. PVTABAS.

SANVM.

OMNIBVSQVE. BEATVM. NVMERIS.

SINE. QVO. NIHIL. EST. BEATVM.

*

IGNOTVM. TERRÆ. BENEFICIVM.

IACVIT. DIV.

BARBARIS. TANTVM. VLTIMISQVE.

GENTIBVS.

ET. IPSIS. ANTICHTHONIBVS.

NOTVM.

NVNC

NI,
NUNC. NE. ET. TE. PRÆTEREAT.
ESSE. IN. PEREGRINO. ORBE.
QVOD. ET. GVLAM. CVRET.
ET. TE. INVALIDVM.
SANITATI. REDONET.
LVSVS. INTER. IOCOSQVE.
LIBIDINANTIVM.
NON. LOGOS. ESSE. VELIM. SCIRE. TE.
SED. ELOGIVM.
QVOD. ARÆ. HVIC. INSCRIPTVM.
VIDES.
* *
THEA!
EST.
DE. COELO. MISSA.
TERRÆ. PROGENIES.
DIVINI. NOMINIS. ÆMVLA.
HERBA.
QVOD. EA. PRÆSTET. MORTALIBVS.
ET. PLVRA.
QVAM. VEL. BACCHI. AVT. CERERIS.
LATEX.
SI. QVA. ENIM. MEDICATA. EST.
ET
SALVTARIS. POTIO.
HÆC. IPSA. EST.
FELICI. NESTES. VVLCANIQVE. CONNVBIO.
THEA.
NVLLA. SVA. CVLPA. MALA.

NVLLA. NOCENS.
NISI. QVAM. ASOTI.
ET.
COMMISSATORES.
OLLI. IMPVTANT.
SIBI. DEBENT.

* * *

SALE. FETA. EST. VOLATILI.
ET.
MOLLITER. SPICVLATO.
ADEO. ET.
LANGVESCENTIS. STOMACHI.
REVOCAT. TENOREM.
ET. DVM. LYMPHÆ. CALENTI.
SOLVIT. VECTVRAM.
IN. VENAS. DIDITA.
FERMENTORVM. ACTIONVMQUE.
NVTANTIVM.
FIRMAT. ROBVR.
ET. SIC.
VITAM. SANGVINI.
VITAM. REDDIT. SPIRITIBVS.
VNICIS. NOSTRI. CVSTODIBVS.
QVIBVS. SALVIS.
ET. CORPORIS.
ET. ANIMI.
SALVA. EST. TEMPERIES.

AT.

* * * *

AT. CVM. POTISSIMA. VITÆ. PARS. SIT.

VIGILARE.

NON. NOCTES. SVBVRANAS.

NON. PERVIGILIVM. VENERIS.

SED. PALLADIS.

HOC. EST.

INGENIO. FRVI.

DOTIBVSQVE. A. NATVRA. CONCESSIS.

QVID. NON. CORDATI.

ACCEPTVM. REFERTIS.

DIVÆ. THEÆ.

QVÆ.

ANIMAM. SEMPER. SOBRIAM.

SVIQVE. SERVAT. CAPACEM.

QVÆ. TRISTES. EREBI. TENEBRAS.

MORTISQVE. IMAGINEM.

SOMNVVM.

PELLIT.

QVÆ. HOMINEM. SVI. NESCIVM.

ESSE. NON. SINIT.

ET. ADEO. SOLA. HOC. EFFICIT.

VT.

HOMO. SIT. HOMO.

FORTVNÆQVE. SVÆ.

ETIAM. INTER. POCVLA.

MEMOR.

PV-

T.

* * * * *

TIS PVDEAT. LYÆVM. PATREM. TA
INVENTI. LATICIS.
ET.
REVO CET. NVTRICIVM. NECTAR.
CERES.
NAM. ET. GVLAM. FALLVNT.
ET. CAPITI. IMPONVNT.
ET.
DVM. RATIONEM.
ILLAM. MORVM. MAGISTRAM.
ILLAM. BONI. ET. HONESTI. PARENTEM.
EVERTVNT.
MVLTI. ET. INFAMIBVS. NOXIS.
APERIVNT. VIAM.
QVO. CONSTET.
ALIVD. ESSE. ANIMÆ. IMPERIVM.
ALIVD. VINOSI. POTVS.

* * * * *

HIC. NAMQVE.
CVM. OPTIME. AGIT.
ET. QVOD. POTEST.
IN. NERVVM. DESPVMAT.
IN. ILLAM. PARTEM.
QVAM. IVPITER. SATVRNO. PATRI.
DEMESSVISSE. DICITVR.
ET.
SANCTVS. NVMA.
MENTVLAM.

VO-

VOCABAT.
NEPOTVM. DELICIAS.

* * * * *

THEA. AVTEM.
BLANDVLA. OLIM. HERBA.
NVNC. DIVA.
VT. COELO. ADFINIOR.
AD. SVMMMA. ADFECTAT. VIAM.
ET. CAPVT.
ILLVD. ANIMÆ. DOMICILIVM.
COGITATIONVMQVE.
IN. QVIBUS. VITA. SAPIENTIS.
SEMINARIVM.
MIRIFICE. ILLVSTRAT.
VEXAT. IBI. PROVOCATQVE.
SEPVLTAS. PRIDEM. IDEAS.
SVISQVE. EXORNAT. PIGMENTIS.
ET. SI. QVID. MOLITVR. FESCENNINI.
MOLITVR. AVTEM. SÆPE.
IN. PVDENDA. INVOLAT.
NON. VENTRIS.
SED. CEREBRI.
ET.
QVOD. PACE. VENERIS. LICEAT. DIXISSE.
IN. PRIAPVM.
NON. POETARVM. ILLVM.
ANSERE. CONCILIANDVM.
SED. ANATOMICORVM.
QVEM. TESTIBVS. ARMATVM. SVIS.

SED.

SED. PVDICIS.
IOCVLARI RATIONE.
GLANDVLAM. VOCANT. PINEALEM.
ILLAM. TOT. LIFIGIORVM. NVTRICVLAM.
OMNIVMQVE. SPECVLATIONVM.
PROMAM CONDAM.

HANC.
SI. VERA. NARRANT.
PHILOSOPHI. NON. DEGENERES.
REGIT. THEA. REDDITQVE.
NON. CHORDA. CITHARAQVE. TENSIOREM.
QVOD. IN. HELLESPONTIACO.
QVÆRERE. PRIAPO.
LESBIA. SOLEBAT.
SED. SPIRITIBVS. TVRGIDAM. PVDICIS.
ET.
COGITATIONIBVS. BEATAM. MVLTIS.
HANC.
IN. QVOSCVNQVE. LIBET. RECESSVS.
ET. CEREBRI. SIGNATAS. VIAS.
IN.
VOLATILIS. FLVIDI.
SPIRITVVM. OFFICINAM.
VENTRICVLOS.
PRIMVM. SECVNDVM. TERTIVM.
ET. QVARTVM.
INCLINAT. VELVT. DOCTA.
TOTVMQVE. ANIMÆ. MODERATVR.




HVC. ERGO.

HVC. ORA. CONVERTITE.

QVI.

NOCTES. AMATIS. LVCVBRANDAS.

SAPIENTIAE. STUDIOSI.



HVC.

POTORES. BIBVLI.

QVI. NIHIL. PENSI. HABETIS.

QVID. BIBATIS.

DVM. BIBATIS.

EN. AQVAM.

SI. VIRI. ESTIS.

SED. SALVTAREM.

SED. MEDICATAM.

ADEO. NEC. MALE. EMPTAM.

HANC. POTARE. SEMPER.

HANC. SITIRE. SEMPER.

SI. LVBET.

POTESTIS.



HVC.

DELICATVLÆ. ET. MOROSÆ. GVLÆ.

TOTVM. HOC. INGENIO.


QVOD. SAPIT.

DEBETIS.

QVOD. SALVTARE.

NATVRÆ. MATRI.

HVC.



HVC.
ADESTE.
TVRBA. CAVSARIA.
ET. VENTRICVLVM.
HIRASQVE. OMNES.
VISCERAQVE. VENVLASQVE.
QVA. PATENT.
OMNES.

HOC. ELVITE. THEÆ. LIQVORE.
FVMANTI. CALIDOQVE.
SEQVETVR. SCIO. FACILIS. PITVITA.
ET. ASPERA. FRÆNVVM. ADMITTET. BILIS.
ET. PARTIBVS. SOLIDIS.
COLLAPSVS. PRIDEM. REDIBIT. TONVS.



SED. VT. NIHIL. PERPETVO. EST.
BONVM.
ET. VSV. TAM. COMMENDABILE.
QVOD. ABVSVS. NON. CORRVMPAT.
VIDEO. IAM. PARATOS.
MELLITVLA. MEA.
QVI. REPVDIVM. TIBI. MITTANT.
VALERE. DICANT. ET. VIVERE.
INEPTOS. QVOSDAM. NEPOTVLOS.
QVI. AMORE. PRIDEM. TVI. TABESCERE.
SINE. THE. NEC. MOMENTVM.
HORÆ. VIVERE.

QVI. THE. MATVTINI.
QVI. NOCTVRNI.
NON. VALITVDINIS.
SED. OCII. FALLENDI. CAVSA.
NON. CONGIIS. AVT. AMPHORIS.
SED. TOTIS. PENE. DOLIIS.
THERMOPOTARE.
GLORIAM. DVCEBANT.
NON. SATIATI. VNQVAM.
NEC. LASSATI.
SED. VSQVE. IN. ORBEM. SOBRII.
QVASI. BIBENDI. META. NON.
ESSET.

NISI. QVAM. EBRIETAS.
AVT. NAVSEA. DESIGNAT.

* * * * *

VIDEO. ET. ALIOS.
DIVA. MEA.

NON. MINVS. TIBI. INFESTOS.
CAPERATÆ. FRONTIS. HOMINES.
QVI. VITÆ. ORDINEM. VEL. OB. HOC.
IPSVM. MVTARE. NEFAS. PVTANT.
QVOD. BACCHI. CONSVETVDINE.
ET. VENERIS. CONTVBERNIO.
TOTOS. SE. IAM. INDE. A. TENERIS.
OCCVPAVERINT.
ET. TRIVM. LITERARVM. TYRANNVS.
MOS.
INOLEVERIT.

D 2

QVA-

QVASI. BONITATEM. RERVM.
ILLO. TESTE,
APPROBARE. NECESSVM. ESSET,
QVO. PLVRIMA. ALIA.
LONGE. ETIAM. PESSIMA.
HODIEQVE. OBTINENT.

* * * * *

AT. SOLARE. TE,
THEA. MEA.
PAVCORVM. SVFFRAGIIS,
NOSTI. ENIM,
ARGVMENTVM. PESSIMI.
TVRBAM. ESSE,
ET,
VT. TE. CALVMNIENTVR. MALI.
ET. IN. NIGRVM. ATQVE. OMINALE,
THE.

VERTERE. NON. ERVBESCANT.
ERIT. TIBI. TAMEN. APVD. BONOS,
PRÆSIDIVM.

VT. TE. VVLGVS. TRADV CAT.
ERVNT. TAMEN. EX. SAPIENTIBVS,
QVI. THE. VINDICENT.
CASTAM. SOBRIAMQVE. HERBAM.
ET. ILLOS. TVI. OSORES,
VEL. AD. GRÆCVM. Π.
AVT.

SI. MITIOR. PLACET. SENTENTIA.

IN

IN. MORBONIAM.
IRE. IVBEANT.

* * * * *

VENIANT. ERGO.

ET.

DICANT. DIEM.

TV.

THEA. MEA.

SI. IVDICEM. NACTA. FVERIS.

NON. AVRI. NON. BACCHI.

SED. VERI. ET. BONI.

HOC. EST. TVI.

ET.

THE.

SITIENTEM.

SOLA. ILLIVS. ADVOCATIONE. TVTA.

STABIS.

VINCES.

TRIVMPHABIS.

NEC. TEMERE. ILLA. TVI. APOTHEOSIS.

FIET.

APOCOLOCYNTHOSIS.

ET. HOC. CREDE. VATEM. DIXISSE.

TV. INTERIM.

QVOD. FACIS.

HAVE. VIATOR.

ET.

THE.

A M A.

IA.

IN



JACOBI BONTII,
Batauiæ nouæ in maiore Jaua Medici
ordinarii

Descriptio Theæ

*e Lib. VI. Historia Naturalis & Medicæ
Indiæ Orientalis cap. 1.*

DE hoc frutice (*The*) hæcenus eloqui erubui, cum Chineses id tanquam arcanum sibi referent, & si quis eos interroget, vnde adferatur, & vbi nascatur, variant omnino, neque quicquam stabile adferent: nam modo dicent herbam esse, modo fruticem; ita vt nil firmum inde concludere hæcenus valuerim: cum tandem generosus noster Dominus Generalis Jacobus Spex eam disputationem & scrupulum mihi partim ademit. Qui haud dubie fruticem esse pronuuciauit: nam nobilissimus Dominus dum ante aliquot annos in Japonia legatus & gubernator esset, ibi sæpissime crescentem conspicatus est. Viridia folia mihi nunquam hic videre contigit. Sed dum arefacta in aqua tepida dissoluerem, inueni ea omnino similia esse foliis consolidæ, sed incisa sunt in circumferentia, & dentata. Porro hanc herbulam cum aqua Chinæ decoquunt, & calidum decoctum deinde sorbent, sanitatis conseruandæ gratia; quod decoctum sapore est versus amarum vergenti, vnde & saccharum ditiores indunt. Porro de hoc potu tantas laudes celebrant Chinæ, tanquam ista The sacra esset herba, & omnibus languoribus morbisque accommodatum solatium. Et certe, vt verum fatear, sanitati

procul dubio conducere dicendum est, & pituitæ crassæ e-
pectore auellendæ non infima est medicina; siccitate nam-
que præstat & calore, quod amaritudo eius satis indicat;
phthificis quoque hic potus prodest & orthopnoicis; tum
vesicæ & calculo renum accommodatum esse remedium
extra controuersiam est, cum sit summe diureticum. Cæ-
terum non minoribus a Chinis laudibus effertur hic potus,
quam Mahometanorum *Caue*, quod potus genus etiam
apud ipsos feruidum sorbetur in eisdem, quos diximus,
vñsus.

GVLIELMVS PISO

ad hunc Bontii locum

annotat:

Non absolum existimaui, si circa figuram, differentias,
& qualitates nobilis huius Asiaticæ plantæ, huc qua-
dam notatu digna adduxero, ex relatu eorum qui per inte-
gros campos in China & Japonia eam studiose coluerunt.
Quo cum haud multi penetrarint Europæi, ut neque noster
Bontius, & proinde viuentis plantæ eiusque iconis se com-
potes fieri nequisse conquesti sint; ego tandem defectum il-
lum fauore Domini Caron, olim in Japonia Præfecti meri-
tissimi, suppleui; ipso nobis inusitatam foliorum discre-
pantiam suppeditante, pictori quoad magnitudinem & figu-
ram, mihi quoad vires & pretium. Quæ pleraque cum ha-
tenus neglecta, non mirum est, multos etiam nunc in illo
errore versari, quasi diuersæ speciei plantæ essent The &
Tsia: cum contra eadem sit, cuius decoctum Chinsibus
The, Japonensibus Tsia nomen audiat; licet horum Tsia

ob maiorem foliorum contritionem & coctionem nigrum The appelletur. Vnde fit, ut Japonensium Tsia gratioris utiq; sit saporis, maiorisque efficaciae, ac altioris quoq; pretii.

Omnis itaque The, siue Tsia, nullibi terrarum, quantum quidem constat, nisi in Japonia, China, & Chiam campis colitur, exsurgitque ad ribesiorum vel rose Europaeae molem & altitudinem. Caules & ramunculi totius fruticis a pede usque ad verticem, perpetuis & infinitis floribus & foliis tenuibus, acuminatis, in ambitu crenatis, ornate vestiuntur. Quae eiusdem licet formae, diuersae adeo sunt magnitudinis, ut quinque differentiae foliorum uni eidemque frutici adnatae appareant. Prima & maxima in inferioribus ramusculis, balsami hortensis foliis simillima existunt. His succedunt ea, quae secunda magnitudinis & prioribus multo minora sunt, ut sic gradatim ascendente quinque manifeste differant. Verum quantum haec folia sursum magnitudine decrescunt, tantum pretio accrescunt: quippe primae magnitudinis exsiccatarum & preparatarum libra valet quinque asses; secunda, quinquaginta; tertia vero, quinque florenos; quarta, quindecim; quinta & ultima magnitudinis, quinquaginta: immo subinde centum & quinquaginta florenos valet, si rite preparata fuerit. Japonenses folia haec in puluerem (quo viridiorum eo praestantiorum) redacta, feruentis aquae cyatho immiscent, quantum duobus cochlearibus continetur, eamque potionem ita permixtam potant. Sine vero in aquae feruentis vasculum aliquot eiusmodi folia injiciunt; inde calida, posteaquam eorum vim imbibit, epotatur, ipsa vero folia relinquuntur.

Flores porro fert The albicantes, magnitudine, figura, colore, rosa silvestri Europæ, quæ eglantier vocatur, excepto odore, simillimos. Quorum foliolis deciditibus, umbilicus manet; ubi semen horum fruticum rotundum & nigrum continetur, rosarum instar; quod terræ commissum novas producit plantas triennii spatio, ex quorum foliis messis luculenta illis annuatim redit, etiam iis Japonia locis, ubi gelu & nix vigent æque ac in Hollandia. Ita ut sperandum sit, si semen capsulis inclusum & contra aeris iniurias munitum huc deferatur, ibidemque umbrosis & fertilioribus terræ locis commendetur, feliciter quoque educatum iri. Radices sunt fibrosæ, & in minimas particulas dispersæ circa terræ superficiem, nullius hætenus usus habitæ. Ita ut sola huius decantati fruticis præstantia in frondibus existat, quæ vere Japonensi lectæ, & in umbra exsiccata, ad quotidianas decoctiones reseruantur. Quas quidem potiones pretiosissimis culinaribus instrumentis ab ipsis magnatibus, diuersis modis religiose præparatas, intimis tantum amicis, veluti exquisitum quid noctes atque dies propinant: easque non frigidas, sed calidas tantum, prodesse ratum habent; more veterum, qui frigidam calidæ postponebant. Si vero quibusdam ob amaritudinem insuauior videatur, tantillum sacchari addunt, eamque summa cum voluptate & leuamine sorbent sani ad arcendum somnum, & in primis ægri, quibus post largiora conuiuia caput & ventriculus oppletus fuit.

Cumque hic potus indies celebrior fiat, etiam apud Europæ magnates, omnes fatentur uno ore, ipsis bene esse ex eius usu; unde fit ut magna copia & magno pretio ipsa

folia exsiccata & in capsulis plumbeis recondita, undiquaque nunc distrabantur. Verum si potiones istæ forte non æque feliciter in Europæis regionibus euincant somnolentias consuetas, nec renum calculos, & catarrhos, aliaque sanitatis incommoda æque efficaciter arceant, sicut illi in natali solo expertum habent; tamen illum defectum non adeo ipsi herba, vel Asiaticorum superstitioni, quam nostro præparandi & utendi modo, ut & corporum nostrorum dispositioni, aliisque impedimentis, imputari posse, facile est diiudicare. Collatis itaque auctorum scriptis, & nouiciorum quorundam viuo relatu, omnes inter se conuenire videntur potius circa usum, dignitatem, & effectus huius potionis, quam circa vires & qualitates. Nam quantum ad saporem foliorum The, præter amaritudinem & calorem, aromaticum quid, & tenuitatem partium potius prædominantem, quam astringentem, videntur arguere. Accedit, quod infiniti mecum experti sunt, ex reiterata hac potione serum sanguinis leuesque sudores moueri, urinasque simul copiose protrudi. Vnde ego crediderim, illud quod affert impedimentum vaporibus, somnum ordinarium inducentibus, non adeo astringendo stomachum, quam discutiendo flatus, attenuando spiritus, exsiccando & corroborando cerebrum, præstare; immo dolores vniuersales mitigare, ut inter anodyna primatum obtinere possit. Accedit, quod omnes euidentiores operationes, quas in humano corpore exerit, meæ opinioni faueant; cum non solum teste nostro Bontio, sed & omni Sirensium Japonensiumque experientia, summe diuretica, & siccans crasseque pituitæ abstergende dicata habeatur. Immo quidni præter has enarratas manifestas qualitates,

etiam antinarcotica siue antiopiales (si ita loqui liceat) proprietates illi attribui possent? scilicet ut The discutendo & separando vapores, atque exacuendo spiritus, serenitatem quandam menti & corpori concilient, blande vigilias inducat, vinculumque illud vaporum familiare paulatim dissoluat, aequè commode quam opium coagulando, obtundendo, figendo, somnum inducere creditur.

Porro lis haeret inter auctores, an planta tam nobilis olim cognita, eiusque usus fuerit antiquissimus; quia in vetustis Sinarum voluminibus nullus ad eam significandam hieroglyphicus character (quales sunt illorum literæ) reperitur. Nostratum aliqui Praefecti in Indiis probabilitatem indigenatus territorii Chinensis, & a multis eius agrestem & incultam fuisse mihi testati sunt; sed eius culturam, vires eximias, preparandi modos, dignitates, quæ quotidie adhuc incrementum sumunt, apud illos minus obsoletas esse. Quod si ita sit, non male quadrat cum iis, quæ de Tabaco & canna saccharifera perhibentur: quarum illa olim in natali solo Indiae occidentalis solummodo herba vulneraria fuit habita; hæc vero instar iridis circa ripas vaga fuit & contempta, antequam dulcedo eius a Barbaris detecta, tandemque per manus tradita, atque cum labore exculta, toti orbi cœperit esse oblectamento.

NICOLAUS TVLPIVS,

Observationum medicarum

lib. IV. cap. 60.

Indiæ orientali nihil familiarius est potione decocta ex herba quam Chineses Théè, ac Japonii Tchia vocant:

cuius notitiam ab illis, qui cum summo imperio illic præ-
fuere, mihi communicatam, equidem lubens posteritati
tradam. Sunt itaque huic herbæ ut folia oblonga, acumi-
nata, & in ambitu crenata; sic radices fibrosæ, ac in mini-
mas particulas dispersæ: crescitque non tantum in China ac
Japonia, verum etiam in Chiam; at eo discrimine, quod
Chinensis folia sint ex nigro viridia; Japonensis vero colo-
redilutiore ac sapore gratiore. Vnde fit, quod Japonensium
Tchia longe pluris etiam æstimetur quam Chinensium
Thée, veniatq; non raro vna ipsius libra centum argenti libris.

Quippe creditur hic passim, nihil hac herba salubrius,
cum ad vitam in extremam senectutem prorogandam, tum
ad impedienda quæcumque sanitatis incommoda. neque
ipsam solum corpora reddere vegeta, atque arcere calculi
dolores, quibus hic neminem dicunt obnoxium, verum
etiam tollere dolorem capitis, grauedinem, lippitudinem,
destillationem, spiritus difficultatem, ventriculi imbecilli-
tatem, intestinorum tormina, lassitudinem ac somnum;
quem tam euidenter compescit, ut sorbitionem huius de-
cocti assumentes videas interdum integras noctes lucu-
brando consumere, ac sine vlla molestia euincere inex-
pugnabilem cæteroquin dormiendi necessitatem, calefa-
cit enim modice, & adstringendo ventriculi osculum, re-
frænât coercetque vsque eo vaporum ad somnum concili-
andum necessariorum adscensum, ut nihil impedimenti of-
feratur illis, qui scribendo aut meditando satagunt noctes
transigere.

Videtur autem hæc planta non longe cognita fuisse
Chinensibus, neque admodum diu in vsu. desunt enim

ipsis auita, quibus eam designent, nomina, siue hieroglyphici illi characteres (quales ferme sunt omnes Chinesium literæ) quibus exprimant ipsius naturam. Differuntque etiam haud parum inter se discrepantes hæ nationes circa vtendi rationem: permilcentibus Japoniis puluerem huius plantæ, in lapide ophitide contritum aquæ calidæ, Chinesibus vero ipsam plantam cum paucis salis sacchariue granis, ex liquore aliquo decoquentibus. quod decoctum deinde calefactum officiosissime propinant cum conuiuiis inuitatis, tum quibuscumque honoris causa ipsos salutatum venientibus. idque ea animorum inclinatione, vt Principes etiam viri non detrectent, quin potius honori ducant, suis manibus hanc herbam vel amicis decoquere, vel alioquin ei miscendæ temperandæue operam suam impendere: exstructis propterea in palatiorum suorum interioribus conclauibus ac foculis, ex pretiosissimis lapidibus lignisue, isti operi speciatim dicatis. in quibus etiam curiose asseruantur ollæ, tripodes, infundibula, calices, cochlearia, aliaque perpolita huius culinæ instrumenta; quæ aliquot aureorum millibus redempta, ac sericis integumentis inuoluta, intimis solummodo amicis ostendunt, neque minori habent loco, quam apud nos adamantes, gemmas, ac baccata summi pretii monilia; vti videre est apud Joannem Petrum Maffæum *Rerum Indicarum libro VI & XII*, Ludouicum Almeydam *Selectarum epistolarum libro IV*, Petrum Jarricum *Thesauri rerum Indicarum tomo II. lib. II. cap. XVII*, Matthæum Ricium *de Christian. expeditione apud Sinas lib. I. cap. VII*, Aloisium Frois in *Relat. Japonic.* Jacobum Bontium *dial. VII. medicina Indorum, &*

His adde

Nicolaum Trigautium *descript. regni Chinesis cap. III*
& VII, Alexandrum de Rhodes *Sommaire des divers*
voyages & missions Apostoliques a la Chine & autres roya-
mes de l' Orient, avec son retour de la Chine a Rome, depuis
l' année 1618 iusques a l' année 1653. Part. I. chap. XV, Ola-
um VVormium *Musei libro II. cap. XIV,* Martinum Marti-
nium *in nouo Atlante Sinensi,* Bernhardum Varenium *in de-*
scriptione regni Japoniae cap. XXIII, Jacobum Breynium *Cent.*
I. exoticarum plantarum cap. 52. & ad istum comm. V Vil-
helmi ten Rhyne, Simonem Paulli *in comm. de abusu Tabaci*
Americanorum veteri & herbae Thee Asiaticorum in Eu-
ropa nouo p. 16. seqq. Jo. Nic. Pechlinum *in dialogo elegan-*
tissimo de potu Theae, Corn. Bontekoeum *in tractatu germ.*
de excellenti herba Thee, Jo. Melch. Gengium *in dissertatio-*
ne de Thee Francofurti ad Viadrum sub praesidio D. Bern-
hardi Albini habita, Adamum Olearium *in Itinerario Per-*
sico, Neuhofium, & alios nauigationum ac peregrinationum
Sinensium & Japonensium scriptores; vt & libellum galli-
cum superiori anno editum, *Traitez nouveaux & curieux du*
Cafe, du The, & du Chocolate: quem auspiciis doctissimi ce-
leberrimique viri JACOBI SPONII Medici Lugdunensis
 $\pi\omicron\lambda\lambda\omega\upsilon\upsilon \alpha\nu\tau\alpha\epsilon\iota\varsigma \alpha\lambda\lambda\omega\upsilon\upsilon$ prodiisse, praefatio indicat praefixa ei-
dem libello latina lingua hoc ipso 1685 anno edito, sed men-
dosissime Geneuae (licet titulus Parisios praese-
ferat) excuso.



